

Quando Faventini iverunt Plumacium.

CAP. CLXXXX.

Anno Domini MCCXXVIII, nōdum anno expleto, mense Junii / in die Sancti Iohannis iverunt iterum Faventini in serviſium Bononiensium apud Plumacium, nullo alio expectante [A]; et ibi per octo steterunt dies, existentibus Parmensibus, Cremonensibus, et Mutinensibus apud castrum Spilamberti; sed cum de treugua per quosdam religiosos tractatum fuisset, utraque pars in manibus potestatis Faventiae / et potestatis Parmae, qui hinc ad kalendas augusti indixerunt observari firmissime [a]. Succurrerunt Faventini Bononiensibus eorum amicis, omnibus curis postpositis, fidelissime et devote.

Jun. 24.

/

Quando Faventini iverunt in serviſium Bononiensium apud Sanctum Cæsarium.

CAP. CLXXXXI.

Anno Domini MCCXXVIII, die xxvii mensis augusti, iverunt iterum Faventini in serviſium Bononiensium, nōdum anno expleto, super Mutinenses apud castrum Sancti Cæsarii, quod infra spacium x dierum, cum manganis et balistis de intro reclusis plenum præliando habuere triumphum, videntibus Mutinensibus, Parmensibus, Cremonensibus, qui apud castrum Spilamberti venerant. Quod autem satis inconsulte fecerunt, spreto amicorum consilio, medium inter castrum Sancti Cæsarii et castrum Plumacii eorum carſocium cum uno quarterio circa horam vespertinam, castrametarentur [b]; bellum gladiis geritur [c]; clamor et stridor ad sidera tollitur; ibi viri et equi caeduntur [d] et pereunt plurimi. Quid plura? Petreriae [e], quas secum duxerunt, scilicet novum flagellationis genus in campo / nusquam auditum, capiuntur. Taliter bello, fere usque mediam noctem, peracto fortissimo [f], utraque pars, eos nemine persequente, dimissis curribus, in fugam vertuntur.

Aug. 27

Bononienses

[a] In hac periodo aliquid deesse videtur; sed nolui supplere. Cl. Mitt., utraque pars compromissit etc. supplet. — [b] castrametarentur, C. V.; castrametarentur, C. M. — [c] gladiis geritur, C. M.; gladiis gerunt, C. V. — [d] equi caeduntur, C. M.; equi cedunt, C. V. — [e] Petreriae. Sic legendum. Codd., petrarias. — [f] peracto fortissimo. Sic legit cl. Mitt.; et simili modo alibi scriptum in ipso codice M. invenio. Sed hic Codd. habent: parato fortissimo. Forsan, patrato, scriptor volebat dicere.

[4] Cl. Murat., ope *Chronic. Bonon. et Parmens.*, rem hanc sub anno MCCXXVIII, sed paululum diversam habet.